



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

Capvt IV. Inuidiæ & æmulationis crimen quousque se extendat, in regis  
filio parricida demonstratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

## CAPVT IV.

INVIDIÆ ET ÆMVLATIO-  
NIS CRIMEN QVOVSQVE SE  
EXTENDAT ? IN REGIS FILIO PAR-

RIGIDA DEMONSTRA-

TVR.



*Alius alium per inuidiam occidit. Sapi. 14. 22. W.K. 5*

## P A R S P R I M A.

**I**N fabulis est, Iouem aliquando,  
cùm diuersos vellet hominum sen-  
sus explorare, moresque illis suos  
ostendere, misisse Apollinem in terras, vt vo-  
luntates humanas experiendo cognosceret.

L

In

I.  
INVIDIÆ  
AVARI A  
POLOGVS

In terras delatus Apollo primùm incidit in duos vnà stantes, iisdem quidem vtrumque vitij affinem, sed in vno *Auaritia*, in altero *Inuidia* magis dominabatur. Hos comiter allocutus Apollo, eorumque morbos è votis & sermonibus tanquam in trutina deprehendens, copiam illis fecit liberè petendi, quod vellent; promissione addita, id quod vterque petisset, ratum se habiturum, ea tamen conditione ac lege, vt, quod sibi vnus petisset, alteri duplum præstaretur. Ibi inter vtrumque magna orta est contentio, vter petitionem faceret. Nolebat petere *Inuidus*, ne alter plus obtineret; nolebat *Auarus*, vt ipsi duplum obtingeret. diu ea lis tenuit; diu contentiosum inter sese fumen traxerunt. Denique pertinacior fuit *Auarus*, malitiosior *Inuidus*: nam quia nullo pacto induci potuit *Auarus*, quidquam sibi vt peteret ne minus peteret; *Inuidus*, ne alteri plus concederet, vnum erui sibi radicitus oculum petijt, vt *Auarus* ambos amitteret. Ita & ipse malum sibi creauit, & alterum damno multauit geminato.

II.  
HISTO-  
RIAE A-  
THOR.

Ne quis hanc fabulam, supra verum, confictam esse existimet, hodie historiam dabo longè truculentiorē. Et historiam de mirabili-  
bilitate

bilioribus vnam, ſatisque teſtatam. Auctor enim illius eſt oculatus teſtis Ludouicus Romanus in libro Hodæporico de Perſia cap. 2. & 3. qui iter ſuum inijt An. Chriſti 1503. vt ipſe indicat, lib. 1. de Arabia c. 1. in patriã redijt An. 1509. vt videre eſt in lib. 3. c. 42. & 44. Ob res in India bene geſtas, equeſtri eſt dignitate ornatus. vt ſcribit lib. 3. de India. c. 41. Editus eſt autem liber iſte Hodæporicus Auguſtæ Anno M. D. XVIII. Hic igitur Author, lib. de Perſia cap. 2. deſcribit inſignem eius regionis ciuitatem *Ormus* dictam, quæ magnitudine ambitus, multitudine populi, opum affluentia, pretioſa illa margaritarum piſcatione nobiliſſima eſt; in portu eius ſemper trecentæ & ampliùs variorum mercatorum naues reperiuntur, quæ illuc è varijs regnis appellunt. Soldanus autem huius vrbiſ & inſulæ eſt Machometanus.

Postquam locum deſcripſit Ludouicus iſte Romanus, cap. 3. teſtatur, talem, ſe inibi locorum verſante, & magnam partem ſpectante, tragœdiam incidiſſe. Soldanus multis titulis felix, valetudine admodum bona, viribus Hercules, diuitijs Crœſus, delitijs Sardana- palus poterat haberi; veſtitu autem gemmatus pauo. Accessit ſuper omnia vxor fœcunda;

L 2

da;

III.  
SOLDANI  
FELICI-  
TAS, ET  
INFELICI-  
TAS A FI-  
LIIS.

164 *Cap. IV. De inuidia immaniſſimo malo*  
da; liberi vndecim, *ſpes tanta nepotum; &*  
erant maſculi omnes. Sed, vt nihil, in terris,  
omni parte beatum eſt, ita filius natu mini-  
mus illi ſpina fuit. Tanta enim videbatur  
eſſe ſimplicitate, vt ab omnibus paſſim pro fa-  
tuo haberetur. Hunc pater non dignabatur  
aspicere; hunc mater nouercali odio perfe-  
quebatur; hunc fratres vbique ludos facie-  
bant; hunc ipſi vernæ deſpectui habebant.  
Quanquam ignarus pater, aliunde ſibi im-  
pendens multò maius malum cauere debuif-  
ſet. Siquidem filius natu maximus, tanquã  
paternæ dignitatis hæres & ſucceſſor, in de-  
licijs parentum fuit, ſed in odio populi ac to-  
tius ciuitatis. Quantò enim maiore indul-  
gentia fuit educatus, tantò in vitia pronior  
euaſit. Nemo illum offendere, nemo aude-  
bat admonere, qui parentum gratiam per-  
dere non voluiſſet. Qualem ergo volebant,  
habuère; voluptatibus deditum; crudelem,  
ſuperbum, ambitioſum; qui denique, poſt-  
quam omnes premere aſſueuit, ſupra ſe nullũ  
voluit pati, ne & ipſe premeretur. Nimirum  
*nulla ingenia tam prona ad inuidiam ſunt, quam*  
*eorum, qui genus ac fortunas ſuas animis non*  
*equant: quia virtutem ac aliorum bonum ode-*  
*ruunt. Quod odium in hoc etiam iuuenegli-*  
*ſcebat,*

Tit. Liu.  
dec. 4. l. 5.

ſcebat, in quo ſanguis, non animus regius  
erat. Hi mores id illi nomen fecere, vt vul-  
gò *catenatus diabolus* diceretur. *Diabolum* e-  
nim eſſe, de nequitijs cenſebant, ſed *catenatũ*,  
quia ei deerat ſuprema poteſtas, qua ſola li-  
gabatur, ne omnia auderet.

Quis ſuperbum vidit, qui non eſſet am-  
bitioſus? quis ambitioſum nouit, quem in-  
uidia non comitaretur? quæ cum nihil aliud  
ſit, quàm *triftitia de bono alterius, aut odium*  
*aliene felicitatis, in quantum aſtimatur dimi-*  
*nuere gloriam propriam*, in ſuperbo maxime  
ac ambitioſo huius triftitiæ odijque cauſſam  
eſt inuenire. *Quoniam ſuperbia comes eſt inui-*  
*dentia*, ait S. Auguſtinus, *fieri non poteſt, vt*  
*ſuperbus non inuideat*. Immo S. Gregorius af-  
firmat, inuidiam ſemper ſolere naſci ex ſu-  
perbia. Superbus ergo inuidet inferioribus,  
ne ſibi æquentur; paribus, quia æquantur; ſu-  
perioribus, quia eis non æquatur. Sic, apud  
Lucanum, *Nec quenquam iam ferre poteſt, Cæ-*  
*ſariæ priorem, Pompei ſue parem*. Nemo ergo  
ſecurus eſt à ſuperba inuidia, aut inuida ſu-  
perbia, neque ſubditi, neque æquales, neque  
maiores. Sic Dauidi Saul, Abeli Cain, Iosepho  
vndecim fratres, Lia Rachel, & alij alijs in-  
uiderunt; qui aut maiores erant, aut pares.

IV.

INVIDIA  
SUPER-  
BIAE CO-  
MES.

S. Augu-  
ſtin. l. II.  
de Genes.  
ad t. c. 14.

D. Thom.  
2. 2. q. 36.  
a. 1.

S. Auguſt.  
in Pſalm.  
58.

S. Greg.  
l. 18. Mor.  
c. 20. &  
31. c. 31.

Lacan.  
lib. II.  
S. Chryſ.  
hom. 44.  
ad pop. &  
41. in  
Matth.

**Iob. 5. 2.**

Minori autem proprium est, inuidia tentari, quia hoc ipso, qui se minorem videt, in altero aliquid videt, quod excellit & ob quod dolet, se esse minorem. Vnde in Iob legimus: *Paruulum occidit inuidia.* Paruulum enim se ipsum indicat, qui dolet alterum esse maiorem, quia ei non æquatur; vel parem, quia sibi æquatur: immo & *paruulus* est, quia timet inferiorem, ne sibi æquetur. Denique vt Comicus ait: *Est miserorum, vt maleuolentes sint, & inuideant bonis, & ab omnibus metuant.* Hinc & *catenatus* ille *diabolus* sibi, contra subiectos, prouidendum, & contra tot fratres munimen quærendum ratus, ne vel illi crescerent, vel isti maiores fierent, tandem etiã de catena, qua erat ligatus, rumpenda atq; excutienda cogitauit. Regis sum filius, inquit; nihil est: qui patrem habet, sub potestate est. Plus est esse regem. Qui rex est, neminem timet. Qui regem habet, non habet plenè, quidquid habet. Bonum maius, impedimentum est boni minoris: & minuit desideria mea, quidquid illius auget vota. Ergo malum est mihi, quod illi bonum est. Illius dominium, mea seruitus est; illius gloria, mea ignominia. Quòd non excellam, facit, quia habeo supra me excellentiorem.

Vnum

Vnum arbutum haud alit duos Erithacos.  
Quid multum disputo mecum? tam diu infelix ero, quam diu parens meus sua fruetur felicitate. Illum si tollo, mea facio omnia, transeunt ad me opes, transit gloria, transit potestas & sceptrum. Denique meus sum, quidquid volo, ago. Sed nec dum omnino meus, metuenda est mater; fratres timendi. Aut nihil audendum, aut omnia. Ita est, ut S. Cyprianus dixit: *Invidia radix est malorum omnium, fons cladum, seminarium delictorum, materia culparum.* Et vitia magna, ut magni domini, magnū secum trahunt comitatum.

Tantò autem invidia periculosius est malum, quantò subtilius & occultius, ac virtuti similis. Idcirco enim illud quidam non aestimant, neque vitant, neque confitentur: vel quia sciunt, aliquando prudenter timeri, adeoque & doleri, de bono alterius, in quantum ex eo timetur nocumentum, vel sibi, vel alijs: ut cum dolemus de victoria hostis, qui dolor non est invidia: *invidentia* enim ut & Cicero ait: *est agritudo suscepta propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti.*

*Nam si quis doleat eius rebus secundis, à quo ipse laedatur non rectè dicitur invidere: ut si Hectori Agamemnon, vel quando tristamur de bono alterius,*

L 4

alterius,

S. Cypri-  
an. serm.  
de liuote,

V.

INVIDIA  
QUANTUM  
MALVM?  
S. Greg.  
l. 22.

Cic. li. 4.  
Tuscul.

alterius, ex eo, quod nobis deest bonum id, quod alius habet; & hoc est propriè zelus, qui, si versetur circa honesta, est laudabilis: vnde & Apostolus ait: *Emulamini charismata meliora*. Laus enim est, non vitium, si quis dicat & optet, conspecta alterius virtute, se dolere, quòd non sit tam bonus, quàm alter, atq; sibi alterius probitatem, mansuetudinem, quin & sanitatem aliaue subinde bona temporalia cupiat. Quod cum peccato & sine peccato potest peti. Quòd si verò quis doleat de bono alterius, in quantum is eum excedit in bonis, is propriè inuidus est, quia *alterius rebus marcescit opimis*: quo pacto etiam hostibus victoriam possumus inuidere. Sic peccatur ab inuido; & quando adest consensus rationis, ex genere suo, semper peccatur mortaliter, quia dolor est de eo, de quo est gaudendum; & peccatur contra charitatem. Ex quo peccato, vt S. Gregorius docet, nascitur susurratio, quando quis occultè quærit minuere gloriam alterius; detractio, quando quis apertè ac palam alterius honorem accidit: in aduersis aliorum rebus exultatio: in prosperis afflictio: tandem & odium, quando quis non solum tristatur de superexcellencia alterius, sed ulterius

Arist. l. 2.  
Rhet.

2. Cor. 12.

31.

S. Thom.

2. 2. q. 36.

a. 3.

Horat. 1.  
ep. ad Lol.

S. Greg.

l. 31. mor.

c. 31.

rius vult illi malum. Et quantum malum? ipsam deniq; mortem. *Invidia diaboli mors introiit in orbem terrarum. imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Quid clarius? Alius alium per invidiam occidit. Et cui parceret, si filius non parcat parenti? si, vt S. Chrysoſtomus ait, invidia peſtiferum malum, hominem in diaboli conditionem ac demonem immaniſſimum conuertit? Cuius exemplum vide, in hoc filio regis, qui non tantum *diabolus*, ſed iure etiam *catenatus diabolus* eſt appellatus, ita quandam velut catenam contexuit nefandorum flagitiorum.*

Quia enim hoc vnum illi ad malitiæ plenitudinem deerat, vt, qui ſcelere eſſet ſummus, ſummus etiam fieret poteſtate, eò vſque intemperijs eſt agitatus, vt de patre necando conſilium caperet, cum regia poteſtate impunitatem comparaturus omnia, quæ animus vellet, perpetrandi. Cùm autem metuendi illi eſſent ceteri fratres, eadem vtiq; paternam vlturi, ſtatuit, vna ſtrage, & patrem & metum tollere. Audite hîc lioris inauditam crudelitatem, & magnitudinem ſceleris agnoſcite. Captata noctis, ſomniq; dormientium occasione, ſtricto pugione, per cubilia, immo & lectos ſingulorum obijt, &

Sap. 2. 24.

Sap. 14.

24.

S. Chryſ.

hom. 41.

in Matth.

VI.

PARRICIDALE FACINUS INVIDIAE.

parricidali impietate, patri primùm, mox & matri, nonem deinde ceteris fratribus oculos effodit, vt videre non possent cladem secururam. Solum decimum è fratribus, natu minimum stoliditatis opinio ab hac immanitate exemit. Quis hinc non videat, fabulam initio à me recitatam, in historiam transisse, & inuidum progredi, vsque ad oculos alijs eradicandos? Sed nondum est finis. Viginti duos oculos, in vna patina cruentatos, & oculos suorum, siccis ipse, immo gaudentibus oculis aspexit. Non illum patris maiestas, non matris amor, non fratrum dulcis consuetudo mouit. Adeò saxeus fuit, vt neque miserabili aspectu tot calamitosorum percelleretur. Ita crudelissimè excæcatus, & orbitatem, quam lachrymis deplorare non poterant, eiulabili questu lamentantes, in vnum conclaue conduxit, & subdito igne, viuos concremauit. Tanta est libido regnandi, tantus inuidiæ furor, tanta amentia liuoris, sua commoda, per aliena damna promoventis.

VII.  
 QVAM  
 DEPLO-  
 RANDVM  
 INVIDIAE  
 MALVM?

Ad tam barbarum facinus, quasi excusso veterno, & stupore abiecto, frater minimus, solus adhuc superstes, è regia profiliens, & per publicas vndique plateas circumcursans, ac demum

demum ad asylum fani confugiens altissima contentissimaque voce clamavit: *Isialla: o Deus, quam impius est frater meus! qui, cruenta manu, sceptrum inuasit, regnumque violenta successione iniustus heres, nefarius successor occupavit.* Hæc vociferatio non tantum Armutianorum aures, sed etiam nubes ipsas peruasit. Et cur non? Si enim ad Cain, qui unicum fratrem occidit, Dominus dixit: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra? quid putemus, ad tot fratrum, ad matris & patris interentorem dici debuisse? Nec dubito, nullum esse, qui, hæc à me dum audit narrari, non quam vehementissimè indignentur.* Rectè quidem, sed frustra parricidæ huic indignamini, quia ille pœnam suam non effugit, ut postea intelligetis. Si utiliter vultis indignari, ipsi invidiæ indignamini: hæc detestatione, hæc omni execratione & fuga est digna, quæ tantorum malorum est mater, tantaque semper, in orbem terrarum, mala inuexit; cumque plurimos quotidie in inferos mittat, tamen à paucissimis agnoscitur, à paucissimis pœnitentiâ deletur. Operæ igitur pretium, iramo necessarium est, digito demonstrare, qui, & quam multi hoc vitio laborent.

Atque

Gen. 4.  
10.

VIII.  
 INVIDO-  
 RVM EX-  
 EMPLA E  
 SCRIPTV-  
 RA.  
 S. Cypri-  
 an. serm.  
 de zelo  
 & liuore.

Atque in primis S. Cyprianum audiamus, cuius hæc sunt: *Quale malum est, quo Angelus cecidit; quo circumueniri & subuerti alta illa, & præclara sublimitas potuit; quo deceptus est, qui decipit? Exinde inuidia grassatur in terris, sicut scriptum est: Inuidia Zabuli mors introiit in orbem terrarum; imitantur ergo illum, qui sunt ex parte eius. Hinc noua fraternitatis odia, dum Abel iustum Cain zelat iniustus, dum boni malus inuidia & liuore persequitur. Iniuste oppressus est, qui iustitiam primus ostenderat: occisus est impiè, qui moriens non repugnabat. Et quòd Esau fratri suo Iacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium persecutionis facibus liuoris exarsit. Et quòd Ioseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de amulatione descendit, postquã id, quod sibi in visionibus prosperam fuerat ostensum, simpliciter, ut frater fratribus exposuit, in inuidiã maleuolus animus erupit. Saul quoq; Rex ut David odisset, ut persecutionibus sæpe repetitis innocentem, misericordem, mitem, lenitate patientẽ necare cuperet, quid aliud quã zeli stimulus pronocauit? quia, Goliath interfecto, & opere ac dignatione diuina tanto hoste deleto, populus admirans in laudes David prædicationis suffragio prosilyt. Saul simultatis atq; in-*  
*sectatio-*

sectationis furias de liuore concipit. Et ne longum  
faciã, peruentis simul populi attendamus interi-  
tum. Iudai nonne inde perierunt, dum Christo  
malunt inuidere, quã credere? obtrectantes  
magnalibus, que ille faciebat, zelo excacante de-  
cepti sunt, nec ad diuina noscenda cordis oculos  
aperire potuerunt. Que nos considerantes, fra-  
tres charissimi, contra tantam mali perniciens  
vigilanter & fortiter dicata Deo & vegetata  
pectora nostra muniamus. Aliorum mors profi-  
ciat, ad nostram salutem: imprudentium pœna  
providentibus conferat sanitatem. Sed fortasse  
erunt, qui à se procul hoc vitium exulare,  
arbitrentur; neque existiment, his tam cala-  
mitosis temporibus, inuidiã locum esse. Si-  
quidem miseris nemo inuidet. Quis igitur  
inuideat, si non est cui inuideatur? Vt enim  
videt ingratos intabescit q̄, videndo, Successus ho-  
minum,

Vix q̄ tenet lachrymas, quia nil lachry-  
mabile cernit

inuidia; sic vicissim pabulum non habet, vbi  
nihil videt, nisi meras calamitates. Posset igi-  
tur aliquis existimare, malam hanc herbam,  
succisa radice, non pullulare. Vtinam ita  
esset! haberemus saltem hunc è miserijs no-  
stris fructum, quòd tam detestabili vitio ca-  
reremus.

Vtinam

Quid l. 2.  
Metam.  
fab. 15.

IX.  
INVIDIO-  
RVM FRE-  
QUENTIA  
ET MVL-  
TITUDO.  
Matth.

27. 18.

Marc. 15.

10.

Matth.

25. 40.

Zach. 2. 8.

S. Chryſ.  
hom. 43.  
ad pop.

Vtinam non & nunc essent vbique tales, qui teterrima Hebræorum imitatione, non iam Soldanum, sed coelestem Patrem, & Christum Seruatorem nostrum, vitæ authorem ex inuidia occidere conarentur! De Christo testis est ipse hostis Christi & iniquus iudex Pilatus: *ſciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum.* De alijs testis est ipse Christus, qui ait: *quàm diu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quod tam in bonum, quàm in malum intelligi potest, quando & alibi dicit: *Qui tetigerit vos, tangit pupilam oculi mei.* Itaque quisquis sanguine Christi redemptum tangit, tangit Christum. Et qui tabescit cùm alios viderit se præclare gerentes, & Ecclesiam verbo, vel alio quopiam modo adiuuare, *non iam fratri, sed & Dei talis repugnat voluntati,* ait S. Chrysostomus; vbi & subiungit: *Quid igitur doles, quod Deus glorificatur? vide, quòd tendat impugnatio. Non, quòd Deus, inquires, sed quòd frater glorificatur. At per eum ad Deum gloria redundat; igitur & impugnatio tua? Verùm hoc, dices, non me contristat, sed per me vellem ipse Deum glorificari. Et sic Deus per te glorificabitur, & omnes dicent: Benedictus Deus, qui tales seruos habet ab omni liberatos inuidia, mutuis gaudentes bonis.* Et  
quid

quid dico fratrem, si hostis ille inimicus esset, si  
tamen per hunc Deus glorificaretur, amicum fie-  
ri propter hos, oporteret; tu verò amicum facis  
inimicum, quia propter illius prosperitatem Deus  
glorificatur. Invidia autem, ut per omne ho-  
minum genus vagatur, ita omne hominum  
genus tangit, & lædit. Plerique sunt invidi;  
ait Cicero, maximeq; est hoc commune vitium  
& peruagatum. Licet inuenire regionem, ubi  
venena non sint, quemadmodum affirmant de  
Creta: at non licet inuenire Rempub. que non  
alat inuidiam contentionemq; ait Plutarchus.  
Itaque 1. similis, teste Philosopho, inuidet si-  
mili; in hoc, quod similis unum excedit alium:  
unde vulgus odit vulgum, & figulus figulum. 2.  
Iter facientes per solem necessario comitatur  
umbra; incedentes verò per gloriam, comes in-  
uidia, ut scripsit Plato. Summos ergo & imos  
vexat inuidia. 3. Eamus ad aulas, ibi sedes  
est inuidiæ. Audiuius exemplum occiden-  
tis fratres & parentes, ut ipse emineret, sed  
longè maius in Euangelio legimus. Nam  
quando, Magi ab oriente venerunt Ierosolymã,  
dicentes: Ubi est, qui natus est rex Iudaorum?  
vidimus enim stellam eius in Oriente, & veni-  
mus adorare eum; audiens Herodes rex, turba-  
tus est, & omnis Ierosolyma cum illo; metuens-  
que

Cic. lib. 2.  
de orat.

Aristot.  
l. 2. Rhetor.

Plato in  
Timæo.

Matth. 2.

que ſceptro ſuo, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, a bimatu & infra. Quanta hæc ſtrages? inuidia fecit. Rarum eſt hoc exemplum, ais. immo frequentiſſimum. In bellis quot, non puerorum, ſed virorum millia occiduntur? quid fecerunt? quo genere delicti meruerunt mori? an quia fortes ſunt? quia ſanguinem fundere parati, ideò morte digni? nequaquam. Sed quia Reges ipſi Principesque potentia inuidia bella excitant. Nam, vt Democritus dixit, *Inuidia ſeditionis parit initium.* Ne alter creſcat, ne emineat, armis frangendus cenſetur. *Graue quid inuidia,* ait S. Chryſoſtomus, *graue & ſimulatione plenum. Hoc mundum innumeris repleuit malis. Ex hoc morbo litibus plena ſunt tribunalia, ex hoc pecuniarum amor, ambitio, & inanis gloria. Hinc vrbes obſidentur, & mare piratas habet. Hinc per orbem cades. Hinc genus noſtrum diſſipatum eſt. Quodcunque malum videris, ex hac radice producitur. Iam enim & in Eccleſias debacchata eſt, & prius innumera patrauit mala. Hoc auaritiã parit, vitium omnia confundens, & inſtitia corrupens.* 4. Quod ſi regibus, ſi principibus ipſis hoc vitium eſt infeſtum, quid inter ipſos aulicos turbarum non excitabit?

S. Chryſ.  
hom. 44.  
ad pop.  
Antioch.

dus cenſetur. *Graue quid inuidia,* ait S. Chryſoſtomus, *graue & ſimulatione plenum. Hoc mundum innumeris repleuit malis. Ex hoc morbo litibus plena ſunt tribunalia, ex hoc pecuniarum amor, ambitio, & inanis gloria. Hinc vrbes obſidentur, & mare piratas habet. Hinc per orbem cades. Hinc genus noſtrum diſſipatum eſt. Quodcunque malum videris, ex hac radice producitur. Iam enim & in Eccleſias debacchata eſt, & prius innumera patrauit mala. Hoc auaritiã parit, vitium omnia confundens, & inſtitia corrupens.* 4. Quod ſi regibus, ſi principibus ipſis hoc vitium eſt infeſtum, quid inter ipſos aulicos turbarum non excitabit?

tabit? Tacitum, Suetonium, Dionem Cas-  
fium, Lampridium, Nicetam Acominatum,  
Choniatam, & Politicos si legamus, o quid  
non inueniemus? Ibi quisquis in gratia est  
Principis, in odio est plebis. Quem nemo ti-  
met, nisi qui & inuidet. Alterum premere,  
putant esse emergere. Et premi se putant,  
quicumque alium vident tolli. Sic oppugna-  
uerunt Periclem Simmias, Alcmaon Themi-  
stoclem; Pompeium Clodius; Epaminondam  
Meneclides: non aulici quidem, sed in Re-  
publica primū locum tenentes, & more auli-  
corum. 5. Quid quod & consilia *malis con-*  
*siliarius omnia depranat absidens, vti & inuidia*  
*ubique nulla magis damnat, quam que sunt opti-*  
*mè dicta?* 6. C. Caligula inuidiā motus, Tor-  
quato torquem, Cincinnato crinem, & Cn.  
Pompeio stirpis antiquæ *Magni* cognomen-  
tum abstulit. quin omnes pulchros & coma-  
tos, si quos obuios haberet, occipitio raso, eos  
præ liuore deturpabat. Maius hoc vitio ma-  
lum quod esse potest? huic dedecus est, alio-  
rum honor; tristitiam facit aliorum lætitia;  
vt verè exclames:

*O miserum! cuius dolor est aliena voluptas.*

7. Sed militia præcipuè hoc morbo est vitio-  
sa. *Hinc Saul, postquam vidit Davidem multa*  
*M* *laude*

Plutarchi  
in præce-  
ptis Poli-  
ticis.

Suetoni  
in Calig:  
nobilit  
114

S. Chryf:  
hom. 35a  
ad popo

laude fruentem, ait aureum illud os, & mulie-  
res in choro clamantes: Saul percussit mille, &  
David decem millia; non aequè ferens de ipso di-  
cta, licet secundùm iusti rationem, benefactori,  
tanquam hostem respiciebat. Quem, cum Zi-  
phai nunciarent, ubi latitaret, & promitte-  
rent, se illum in manus eius tradituros, Bene-

1. Reg. 23.

31.

Ælian.

l. 12. var.

hist. c. 16.

Diodor.

l. 11.

dicti, aiebat, vos à Domino, quia doluistis vicem  
meam. Quibus verbis utique prodebat animi  
sui ægritudinem, & rabiem, tormentumque,  
quo Siculi tyranni maius non inuenerunt.  
Ita Perdiccam oderat Alexander, quòd esset bel-  
licosus; Lysimachum, quòd imperatoria aris  
peritus; Seleucum, quòd forti animo esset. An-  
tioni verò liberalitas eum offendebat, & Attali  
imperatoria dignitas, & Ptolemei prosperitas.  
Apud Herodotum, Græcorum duces, ad Sa-  
laminē, re bene gesta, quamvis consilio The-  
mistoclis omnia gesta essent, eius tamen glo-  
riæ invidentes, ne secundas quidem rei bene  
gestæ partes tribuere voluerunt. Apud Dio-  
dorum, Agathocles Syracusiorum tyrannus  
Gelonis regis sepulchrū, quod ei ob res præ-  
clare gestas populus extruxerat, diruit. Non  
opus est antiquis exemplis. Nostrum secu-  
lum satis docet, quantum vnus alteri miles,  
& dux de nomine ac gloria fortitudinis de-  
cerpat.

cerpat. Pudet dicere, esse, qui potius hosti  
victoriam relinquunt, quàm vt æmulum ad-  
iuuent, in hoste de bellando. Itaque quando  
de summa rei agitur; quando toti exercitus  
versantur in periculo, diuertunt, eumque, qui  
certâ in manu victoriam habuisset, si succur-  
sus non defuisset, sub cultro, certè sub gla-  
dio, relinquunt. Quot, in tali negotio, ho-  
micide, per inuidiam perpetrantur? Et vul-  
garis quoque miles, socium iugulat, ne præ-  
da careat, qua illum videt exultare. Nimi-  
rum, *ubi zelus, & contentio, ibi inconstantia, &* Iac. 3. 16  
*omne opus prauum.* 8. Ab aulis & militia ad  
vulgus veniamus. Ibi non tantùm *figulus fi-  
gulo, & faber fabro inuidet,* sed ferè quiuis in  
vna arte, aut opificio, alterius lucrum suum,  
esse damnum interpretatur. Hinc opera eius  
vituperat, sua laudat; sæpe etiam fraude vel  
arte mala alium impedit; non rarò etiam ex-  
cantat, aut fascinat. *Contemplatus sum omnes* Eccl. 4. 4.  
*labores hominum & industrias, animaduerti pa-  
tere inuidia proximi.* 9. Notum est, quid  
nonnulli possint venatores, aut iaculatores,  
qui si tuam fistulam æneam, tuum arcum,  
tuam sagittam in manus acquirant, utique  
facient te à fera, vel scopo semper aberrare.  
10. Equum habes vegetum, cursu vis con-  
tendere,

tendere, omni vigilantia tibi cauendum est, ne æmulus tuus tibi eum claudum reddat & macilentum. Idem contingit in vacca, in ouibus, in cane pulchro; non quia nocent, sed quia excellunt, destruuntur. Quod inuidia facit, qua quis propriè tristatur de bono alterius, à quo eo ipso exceditur bono; hinc, ne excedatur, contaminare illud nititur, & si perire videt, lætatur: quia huius vitij proprium est:

Stat. 2.

Thebaid.

*Insultare malis rebus, agrescere lætis.*

11. Caupo es, & hospitum gaudes frequentia? aiunt æmuli tui, non venire ad te hospites, propter tuum vinum, sed propter tuam uxorem, aut filiam, aut ancillam. 12. Cereuisiam coquis optimam, panem pinis sapidissimum; fullo es, & pulcherrimè tingis pannos; erunt, qui aliquid in domo tua defodiant, vt eadem materia, iisdem que instrumentis & coloribus, nihil ampliùs boni conficere possis. 13. Accede ad sutorem, ad sartorem, ad scrinariarium, ad quemcunq; opificem, puta valde bonum, si audieris eum alios eiusdem tribus laudantem; si non tarditatem, si non laborem, si non excessum in pretio accusarit. 14. Quod videre est sæpe etiam in circumforaneis, qui in nundinis, publicas

publicas cient conciones, in quibus ſuas pyxides laudant, eius autem, qui in proximo vendit foro, de impoſtura vituperant. 15. Rarò quoq; inter vicinos non eſt æmulatio, iam nimis frequenter ianua pulſatur, cùm ad alteram ne muſca quidem diuertat; dicitur itaq; vicino facere habitationem inquietam; dicitur oſtium eſſe tumultuoſum; dicitur cum ſtrepitu claudi; iam clamoribus aiunt ſe turbari: iam inſpici in ſuas ædes; iam è puteo aquas exhauriri; iam hoc, iam aliud inueniunt, quod carpant. 16. Nec domorū tantum, ſed agrorum quoque vicinia incendit ad inuidiam colonos. Nam

*Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,*

*Vicinumq; pecus grandius uber habet.*

Nempe, quia *Aliena nobis, noſtra plus alijs placeat.* 17. Uſque adeò, vt hoc etiam in iſtis coniugibus contingat. Ita enim Lugduni, paucos ante annos, accidit, vt honeſtæ matronæ nobiliſque coniux, ab alia nobili quidem, ſed inhoneſta flagitioſè ambiretur: cumque ille ſumma pace, multis iam annis in concordia coniugio vixiſſet; iſta legitimis caſtiſque inuidens amoribus, vt vnanimis diſfueret, vxoris caſtiſſimæ fidem, apud maritū eius in ſuſpicionem, tam verofiſimilibus voca-

Ouid. l. 1.  
de Art.

Vallad.  
conc. fer.  
2. Dom.  
Paſſio-  
nis, &  
poſt eum  
Philipp.  
Doulter-  
man in  
pædag.  
Chriſti-  
an. p. 1. c.  
7, ſ. 5.

uit indicijs, vt innocens domo eiecta, & miseris modis à viro tractata, non ante in gratiã ac domum redierit, quàm multis post annis, tanti mali incentrix, iusto Dei iudicio, grauissimo & Medicis omnibus incognito afflicta morbo, cui nulla vsquam inueniretur medicina, ne morte quidem (mori enim non poterat, vt diu ægrotans cruciaretur) memorantam perniciem quietissimo & sanctissimo coniugio attulisset, à conuocatis coniugibus veniam rogauit, facta palam, abs se, per summam calumniam, inuidiamque, conficta esse ea omnia, quibus sanctum inter illos casti thori amorem, impiè distraxisset. Quibus dictis, animam efflauit, Proserpina fortasse marito in thalamum venturam. 18. Quid, quòd inter senes & iuuenes liuor se interponit? quippe *edentulus vescentium dentibus inuidet*: & adolescens sibi ambit senum pulmenta. *Optat ephippia bos piger, optat arare caballus*. Inter filios & parentes, inter fratres & sorores, inter seruos & ancillas hæc pestis grassatur. Quoties enim pater sua absomit, ne filio relinquat? quoties filij parentibus longam inuident vitam, vt hæreditate citò potiantur? aut libertate? quoties sorores queruntur, fratribus plus dari, quàm sibi

sibi? quoties frater fratrem odit, quòd nimiū comedat, quòd pulchrius vestiatur? quòd sic albæ gallinæ filius? quòd nimium peculij, in studijs, consumat? Quoties ancilla videns coquam dominæ esse valde charam, cibos, malitiosè destruit, & coqua paulum è culina digrediente, iniecta salis immani copia offam perdit; aut pulmentum, vel carnes, aggesto nimio adurit igne? vt oleant, & desipiant? De seruis constat, quid accusationum machinentur, vt æmulo fauorem heri interrumpant. 19. Quid ibo per singulos? mendicus, cùm ante ianuam diuitis mendicum videt expectantem, liuore tangitur, & sibi existimat subduci, quod alteri videt porrigi. Nec rarò de illo querelas obijcit, quibus vult stipem illius interuertere. 20. A mendico si ad medicum veniamus, potest sæpe liuor causa esse, vt ægrotum non adeat, sed mori sinat medicus, quia non dignatur ad eum accedere, à quo iam alium medicum fuisse consultum intellexit, censet ergo arti suæ derogari, si soli non credatur. Et aiunt, nonnunquam accidisse, vt, ad infamiam alteri conciliandam, morbus inconueniente pharmaco, de industria augetur. O liuide, quid agis, si, cùm poteras, non iuuiisti, occidisti.

cidisti. Vide ergo, quo pacto famæ tuæ con-  
 sulas, ex medico factus homicida, 21. Quod  
 tantò truculentius est, si fiat etiam à medi-  
 cis animarum, à Parochis, aut alijs Confessa-  
 rijs, qui audent etiam cùm morte luctantes  
 deserere, ac, sine confessione audita, e vita  
 dimittere eos, à quibus se desertos memine-  
 runt. Nempe alij semel iterumque confessum  
 esse, adeò eos vrit, vt nihil, vel totum soli im-  
 perium in conscientias velint obtinere, 22.  
 Quò denique inuidia non penetrat, si non  
 tantùm Aristotelem contra Platonem; sed  
 Confessarium contra Confessarium, Doctorem  
 contra Doctorem, Concionatorem contra  
 Concionatorem, Lectorem contra Lectorem;  
 subditum contra Superiorem; vnã inte-  
 gram religionem contra alteram religionem  
 irritat? *Vt doceamur, in sanctos quoque cade-  
 re posse inuidias, ait S. Hieronymus, & soli Deo  
 puram clementiam derelinqui, filiorum Zebedæ  
 consideremus exemplum, pro quibus, cùm mater  
 mota pietatis affectu nimis grandia postulasset,  
 reliqui decem discipuli indignati sunt. Et IESVS  
 aduocans eos dixit: Quicumque inter vos volue-  
 rit esse primus, sit vester seruus: quoniam filius  
 hominis non venit ministrari, sed ministrare. Si  
 inter Christi Apostolos inuidia esse potuit,*

S. Hiero-  
 nym. ep.  
 146. ad  
 Dama-  
 sum.

cur non esse posset etiam inter religiosos? 1. Cor. 3. 3.  
*Creta*, ait post supra citatum Plutarchum, quidam, nullum habet venenum, præter phalangium, id est, aranei genus: ita non est monasterium tam sanctum, quod immune sit, ab obrectationis, & invidentiæ malo. Quibus dici merito potest: *Cum sit inter vos zelus & contentio*, Rom. 13.  
*nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* 13. Quod etiam notat totas Congregationes, ac Sodalitates sacras, quæ invicem provocantes, invicem invidentes, inanis potius, quàm diuinæ gloriæ cupidæ esse arguuntur: sicut & totæ nationes, inter quas, velut hæreditarius linor gliscit: ad quas quotidie clamat Apostolus: *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?*

Immo ambulatis in æternam damnationem. Grauißimum enim crimen est istud. *Invidia & fornicatione, & adulteria peior est*, ait *S. Chrysostomus*, *luxuria enim in operato tantum sistit, invidia verò totam subvertit Ecclesiã, & toti nocet terrarum orbi: hæc homicidij mater est; ista fratrem Cain occidit: ista Esau Iacob insecutus est, ista fratres Ioseph; ista diabolus cunctos homines perire curat.* Sed primò omnium ipsum invidentem. *Sicut enim viperas dicunt.*

M s                      abrupto

X.  
INVIDIÆ  
MALIGNI-  
TAS.  
S. Chryf.  
hom. 44.  
ad pop.

- S. Baſil. *abrupto ventre matris, naſci,* ait S. Baſilius, *ſic*  
 hom. 11. *inuidia concipientem ſe animam corrodit, & ta-*  
*befacit: ſuppliciumq; ſuum eſt, vt loquitur*  
 Poëta. Ex alijs vitijs aliqua ſaltem voluptas  
 capitur, liuor eſt triſtitia de bono alterius, &  
 ſine delectatione, niſi quòd, ſicut alij bonis  
 proximi gaudent, malis ingemiſcunt; ita vi-  
 ce verſa liuidus è fratris ſui commodis dolo-  
 rem concipit; è damnis delectationem. *Riſus*  
 Ouid. l. 2. *abeſt, niſi quem viſi mouere dolores. Sicut enim*  
 Metam. *vultureſ, teſte S. Auguſtino, pratis amœnis*  
 S. Augu- *& odoratis deſertis, ad tabida & ſeculenta loca*  
 ſtin. ſer. *feruntur; muſca quoque, prateritis ſalubribus*  
 83. de *membris ad vlcera properant; ſic inuidi neolecto*  
 temp. *vita ſplendore, & rebus magnificè geſtis, errata*  
*tantum obſeruant, & diuulgant; vt diminuant*  
*gloriam eius, cui inuident. Quam ſi diminu-*  
*ere poſſunt, exultant in aduerſis illius; ſi non*  
*poſſunt, in proſperis illius affliguntur. Quæ*  
*exultatio in aduerſis alterius, eſt non ſic*  
*ipſa inuidia, ſed velut filia ex illa ſequatur,*  
*tamen, vt eſt frequentiſſima, ita grauiſſima,*  
*neque ſua pœna caret. Quæ de cauſſa eam*  
 Iob. 31. *Iob tantopere declinauit, qui auſus eſt dice-*  
 29. *re: Si gauſus ſum ad ruinam alterius, qui me*  
*oderat: & exultavi, quia inueniſſet eum malum.*  
 Prou. 17.9 *Et alio loco dicitur: Qui in ruina letatur al-*  
 terius

terius, non erit impunitus, ait Salomon; &,  
 Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in  
 ruina eius, non exultet cor tuum, ne forte videat  
 Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram  
 suam; eamq; in te transferat. Immo trans-  
 fert. Nam vita carniuum sanitas cordis, putredo  
 osium inuidia; & sicut ærugo ferrum, sic in-  
 uidia quæ infecit, animum consumit. Quip-  
 pe, vt Plautus ait: *Inuidere aly bene esse, tibi  
 male esse, miseria est. Qui inuident, egent. illi  
 quibus inuidetur, rem habent.* Itaque Deus  
 inuidum cruciat amaritudine sua; qui sem-  
 per carpitq; & carpitur vnà; punit hostimen-  
 to etiam ac talione; & ni respiscit, ad æter-  
 na supplicia amandat. Neque eò differt pœ-  
 nam; sed, in hac ipsa illi vita, quendam  
 Auernalium suppliciorum gustum propinat.  
 Vnde inuidia non solùm alienos, verùm multò  
 magis eum, quem possederit, lacerare consuevit,  
 vt ait D. Ambrosius, Immo inuidi liuido den-  
 te se ipsos rodunt, consumunt, occidunt, &  
 secretis conscientia vngulis discerpunt.  
 Quod in Aiace Telamonio ostendit Sopho-  
 cles, cui quia mortui Achillis arma abiudica-  
 ta, & Vlyssi in præmium virtutis data sunt,  
 furor incredibilis mentē occupauit, qui eum  
 eò impulit, vt in proprium gladium incum-  
 beret;

Prou. 24.  
17.

Prou. 14.  
30.

Plaut. in  
Tricu-  
lento.

S. Ambr.  
lib. de fu-  
ga seculi.

Sophocl.  
in Aiace

1. Reg. 31.  
4. Plura  
talia ex-  
empla  
sunt apud  
Surium  
tom. 4. in  
vita Ar-  
nolphi.  
c. 24. 38.  
41. 42.

beret; quod & regiâ inuidiâ rabido Sauli tandem contigit. Qui, quoniam in innocentissimum, optimeque de Rep. meritum Dauidem ira inuidiaque flagrauit, à Domini spiritu relictus est, & à nequam possessus, donec & ipse Isacidarum Ajax in gladium proprium incubuisset. Sed hoc ipsum etiam in Soldani filio regni inuasore, supra à nobis memorato, exemplum ac remedium porre videamus.

*PARS SECVNDA.*

XI.  
CRVDE-  
LISSIMA  
TYRANNI  
INVIDIA  
PVNITA,  
ET FIDE-  
LIS MINI-  
STRI  
CHARITAS  
LAVDATA.

**D**OSTQVAM is lamentabilem illam stragem edidit, & partim, iunioris fratris vociferatione, partim aliunde ex aula, tot parricidiorum cædes invulgus erupit, pronum fuit, vnicuique cogitare, quid ipse ab eiusmodi rege sperare posset, qui tam crudelis fuit in proprios fratres ac parentes. Itaque seditio inde gliscere cœpit, quam, vbi dudum ad id armato dispositoque milite, callidus parricida sopiuit, cruenta manu sceptrum inuasit, regnumque violenta successione occupavit iniustus hæres. Quod vt magis muniret, censuit vterius fulciendum, interitu eorum, quos patri suo sciuerat fidissimos extitisse; in subditos quoque

quoque inuidia stimulatus. Duos è Presbyteri Ioannis regione, bonis Christianisq; parentibus oriundos egregios viros, sed fortè bello captos emptosque, in aula sua habuerat pater eius. Hos, ob præclaram indolem, rerumque gerendarum prudentiam, ac mirificam, in rebus omnibus, constantiam & fidelitatem, haud secus, quàm proprios filios diligebat. Ea de causa, non solùm summis eos negotijs maximisque officijs, sed etiam arcibus, ac locis ei cum spectissimè munitis præfecit. Quo fauore regis, fortuna, non etiam virtus captorum est mutata. Nam eadem illis, in honore, quæ in seruitute fides fuit. Quæ, cum viuento rege, tum maximè eo interfecto, probata est. Mutata iam dudum erant his captis, per ignominiam, nomina Christiana: Machomet vnus, Cain alter, in aula, appellabatur. Hos ergo duos, non nisi recti amantes, & insuper autoritate ac viribus pollentes, si parricida non è regno, vel è vita eiecisset, facile meruebat, se eiectum iri. Cæterùm fraude potiùs, quàm vi remtentandam ratus, alterum, cui Machomet nomen, ad se venire iussit. Venientem, in occasionem fraudis, interrogauit, an pro Soldano agnosceret, cum quo loqueretur?

Affir-

Affirmantis manum blandissimè apprehendit, honoribus postea varijs ornauit; plures maiorésque, cum quinque castellis, atque alijs fundis, agris, fortunisque amplissimis pollicitus, si collegam suum alterum Christianum Cain vulgò vocitari solitum, interimeret. Tunc apparuit, quantum, apud bonos, amicitia diuitijs præstet. Siquidem Machomet, neglecta tantæ promissionis spe, & metu omni contempto, ostendit, cuncta se alia potiùs paratum vel agere, vel pati, quam vt se tam nefario perfidiæ crimine obstringeret. Triginta, inquit, annis, ô Soldane, cum collega meo vixi; eundem patriæ spiritum ab ineunte ætate hausi; idem natale solum calcæui; vnà edimus, vnà bibimus; vnà læta atque tristia experti sumus; deniq; vnà eandem belli sortem subiuiimus: omnis humanitatis oblitus, bellua, tigris essem, si in immeritum, immanitatem istam perpetrarem. Tyrannus vbi vidit, furdo se loqui, neque hac via tragœdiæ suæ circulum absolui posse; tanquam si re meliùs ponderata, consilio desisteret, hominem à se dimisit, nullo præterea mandato, aut petitione oneratum. Hoc dimisso, alterum aduocauit, pari arte, aggrediendum. Perinde enim illi erat, vtro in car-

nifici.

nificinā alterius vteretur. Igitur, sicut prius Machometum, ita nunc vicissim Cainum, suaviloquentia, benevolentijs verborū, largissimis pollicitationibus orsus circumuenire haud sanè diu laboravit. Cainus enim, cedens authoritati, non iam adamantinus, sed cereus flecti, siue etiam promissis emollitus, siue tantæ lanienæ recentissimis exemplis fractus, succubuit, promisitque, porrecta dextera, se crudelissimi mandati ministrum fore. Nec diu moratus, ex aula discedens illico arma induit futuræ scenæ idonea; ædesq; socij benevolus trucidator adiuit. Procliue fuit Machometo, quod res erat, suspicari. Nam & aduentus intempestivus; & tyranni prior machinatio, consiliumque adhuc alta mente repostum, recentique memoriā fumans; & vultus ipse Caini, aliquid vel ausi, vel ausuri, viro prudentissimo perspicuè prodiderunt, quam rem cogitaret. Quocirca, velut subito excandescens, manum capulo acinacis admouet, procurrensque iracundè obuiam, *ô proditor impiè! ô paries dealbate! ô subaratum aurum! & perfide Achates, non iam Achates, exclamat. Patere tua consilia non sentis? Negare non potes. In fronte tua, lego facinus cogitatum. Non sunt clausa pectoris tui arcana. A tyranno*

tyranno tyrannidem didicisti. Deserta Christi pietate, transijisti ad mores Machometanos. Sed ades. ego te praeueniam; ut antè, quàm occidas innocentem, nocens ipse occidaris. Scelerituo obuiam ibo, ingulatus neminem poteris ingulare. Hac inexpectata oratione fulminatus sibi conscius Cain, altiùs in se descendit; neque, quod iam illi palam esset, veteri amico tegendum existimauit. Quare extemplo ingenua procubuit, atque gladium vagina eductum, abiecit ante pedes illius, cuius iugulum destinârat ferire: cumque ceruicem ipse suam nudasset, *Feri, inquit, Domine, & meo meo gladio verbera, hominẽ omnium, quotquot mortales viuunt, ingratiſſimum, perfidiſſimum, mori digniſſimum: & quidem illius manu mori, iniquem perfidus extiti.* Nihil aliud expectabat Cain, quàm ferrum, & fatum. Sed melior Machometus; *Etsi, inquit, necari dignus es, qui tot annis intimè cognitum amicum ad necem destinasti; tamen dono vitam, do veniam; surge. At ne sine omni vulnere abeas, dicam quem tu volueris vulnerare: illum nempe, quem tyrannus, in eadẽ caussa, priùs compellauit, insiſtẽq; tibi vim inferre.* Sed ego pristina familiaritatis memor, & legis Christiana, ipse malui mortis me periculo exponere, & amicitia potius, quàm

vita indulgere. Restiti igitur Tyranno, & id facere me non posse, dixi; cui te nunc vidi consensisse, & iniquam eadem mandanti parere voluisse. Percipi tibi, ut cumulatione beneficij ex amico carnicem facerem, & ab illo maclaretur, cui caussa fui, ne maclaretur. Verum hac fuere; condono omnia; ut vel hinc tibi amicitia accrescat, discasq; posthac odisse odio dignos. An enim non vides, quam sanus sit, cui operam addixisti, ut sicarius fieres? Huc vsque diabolus fuit, sed catenatus: nunc, parentibus e medio sublatis, fratribusq; sepultis, velut ruptis catenis, quid non tentabit? Sed nostri officij est, obstare violento. Abi ad illum, & simula, te, quod mandarat, perfecisse; meq; dic, ferro tuo cecidisse; cetera mihi permitte. Abijt Cain, Tyrannoque retulit, se ipsius mandato paruisse, Machometum vixisse; hoc habere. Quod vbi ille audiuit, iam, contra vnum pugnare, longè facilius duxit: astu tamen vim occultauit. Quippe, gratijs illi magnificè actis, ad complexum illius currit; sed inter amplectendum inopinantem pugione percussit. Perlatus est illico cædis huius rumor ad Machometum, qui rem non diutiùs distulit, sed armis raptim instructus ad palatium properauit. Ibi tot funeribus funere etiam ipsius parricidæ cumulatis, &

N se

ſe hoſte, & regnum Tyranno liberauit. Fraude vti noluit, virtute vicit. Glorioſius enim exiſtimauit rem manu, quàm aſtu geri. Igitur, tanquam primæ admiſſionis aulicus, audientia non petita, ad Soldanum intrepidè ingreſſus eſt. Tyrannus, eo viſo, excandefcens, *Ergone, ait, tu canis, & fili canis, adhuc aura veſceris?* Cui Machometus, *Ingratijs tuis viuo, inquit, & quia cane deterior es, ego nunc te ipſum neci dedam.* Corripiunt vtrinque ferrum, & acerrimè dimicant. Poſt diurnam pugnam, cecidit, qui meruit; parentibusque ſuis inferias tulit truculentus filius; què inuidia in ſui patris necem impulit, & propriâ dignum fecit, vt etiam ipſe ſceptro, quod genitori eripuit, ſpoliaretur. Paucos igitur dies in ſolio ſedit, qui niſi per nefas aſcendiſſet, multos annos regnaturus erat. Juſtè ergo paſſus eſt à miniſtro, quod ipſe longè crudeliùs fecit parenti. Hoc facinore in conclauis patrato, inde victor progreſſus Machometus, militem collegit, populoque conuocato ad concionem, occiſi Tyranni hiftoriam omnè explicatè narrauit. Miro applauſu exceptus eſt; magnaque totius multitudinis gratulatione, gaudentis, ſe tam immiti iugo, belluaque adeò infeſta eſſe liberatam. Eadem

dem mens, eadem vox fuit procerum, qui omnes Machometum posthac Soldanum esse iusserunt. Ille quasi honorem acceptaret, milite munitus, turbas regni composuit: & mira celeritate, intra viginti dies, omnia tranquillauit. Quibus elapsis, cum omnia conquiescerent, conuocatis rursus tam proceribus, quam populis vniuersis, statum regni exposuit, tandemque regis filium natum minimum superstitem produxit, ad hunc, non ad se regnum pertinere dicens, non iam fatuum, sed Dei (qui quæ sunt stulta mundi eligit) suffragio coronandum. Itaque coronam de suo capite detractam, iuueni imposuit. Qua tanta fidelitate effecit, vt non solum *amicus Dei* à cunctis appellaretur, sed etiam, vt, cum summa Christiani nominis existimatione atque incremento, haberetur pro vrbis, & totius regni Governatore, donec regius puer, ex ephebis excederet, & per ætatem ipse regnare posset. Hæc initia fuerunt Armuzium Christianam religionem introducendi, quæ velut fundamenta iecit diuina Providentia, super quibus postea P. Gaspar Barzæus noster reliquam Ecclesiæ structuram ædificaret, cuius vita passim extat.

XII.  
 INVIDIA  
 QVOVIS  
 SUPPLI-  
 CIO DIG-  
 NA: CHA-  
 RITAS  
 QVOVIS  
 PROEMIO  
 ET LAVDE.  
 Max. ser.  
 54.  
 S. Chryf.  
 hom. 41.  
 in Matth.

Matth. 25.  
 41.

Trahuntur etiam ex hac parte historia istius egregia contra inuidiam documenta. Nam insatiabilis Tyrannus, usque ad eorum etiam cædē progressus, qui parenti eius fideles extiterunt, non solum docuit, prudenter à Cleobulo responsum esse, *inter precipuè cauenda, esse amicorum inuidias, & insidias inimicorum*; sed etiam, quàm diabolicum, & nullo supplicio satis plectendam sit hoc vitium, manifestè demonstrauit. *Quemadmodum sues*, ait S. Chrysostronus, *lutosa immunditia, & demones nostris damnis letantur, sic inuidi calamitate proximorum exultant, alienas jacturas suos questus existimat. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi? nonne omni cruciatu torquendi? Non aliter profectò, quàm rabidi canes, demonisq; atroces furia. Nam velut scarrabai alieno stercore, sic inuidi aduersa aliorum fortuna nutriuntur. Inuidia pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in demonem immanissimum conuertit. Qua de caussa meritissimò Tyrannus ille parricida diabolus cætenatus, torquatus, diadematus, potuit nominari, atque inter eos accenseri, quibus dicitur: *Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Igitur, vt eiusdem modò laudati Patris utat**

verbis:

verbis: *Fugiamus inuidia pestem. Non enim licet euadere ignem diabolo paratum ab hoc malo non liberatos. Liberabimur autem, si cogitemus, quo modo Christus & nos dilexit, & alterutrum amare precepit. At quomodo nos dilexit? Pretiosum sanguinem dedit pro nobis, qui eramus inimici, & modo peccaueramus: hoc etiam fac pro fratre. Nam propterea dicit: Mandatum non dabo vobis, ut diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Immo verò, nec ita mensuram statuit. Nam ipse pro inimicis hoc fecit. At non vis tuum, pro fratre, sanguinem effundere? Quid igitur illius sanguinem fundis, ex opposito mandatum oppugnans? Præceptum charitatis est, alterius bono gaudere, inuidiæ fructus est, dolere: *charitas non emulatur*, liuor cor exedit, quia proximi bono suum diminui credit, *tolle inuidiã, & tuum est, quod habeo: tollam inuidiam, & meũ est, quod habes.* Amicorum enim, si sibi non inuident, omnia sunt communia. Charitas non solũ pro proprijs, sed & pro alienis successibus ac rectè factis Deum laudat. Hinc ait Apostolus: *Primũ quidem gratias ago Deo meo, per Iesum Christum, super omnibus vobis, quòd fides vestra annuntiat in toto mundo: inuidia ringitur, & Nemesis iniusta iudicat, Deum dona indignis conferre.* Charitas &*

S. Chryl.  
hom. 53<sup>o</sup>  
ad pop.

Ioan. 13.

34.

Rom. 1.8<sup>o</sup>

humilitas exaltatur; inuidia dum se exaltat, humiliatur: hoc in Tyranno, illud ostensum est, in Machometo, cui maior gloria venit è corona repudiata, atque in verum heredem translata, quàm cum illi eadem à proceribus & populo offerretur. Multæ filix matre mortua viuunt, superbia est inuidiæ mater, sed talis, vt filia, extinctâ matre, non possit superesse. *Inuidia est filia superbia: sed ista mater superbia, nescit esse sterilis*, ait S. Augustinus, *continuo parit: suffoca matrem, & non erit filia.* Suffocatur autem superbia etiam per ipsum appetitum excellentiæ, si consideretur, honores sapius ambitione perdi, quàm acquiri. Quid, stolidi, per vim vobis ad sceptrâ viam paratis? quid regibus legitimis ea, de manu extorquetis? hoc pacto non itur ad gloriam; sed honores & regna, & ipsa vita amittuntur. *Reddite, quæ sunt Cesaris, Cesari, & quæ sunt Dei, Deo.* Christiani, qui se humiliant, exaltantur: gentes quæ se exaltant, humiliantur. *Huic periculo consulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueum sabuli incurreret*, ait S. Cyprianus, *cum eum discipuli interrogassent, quis inter illos maior esset; Qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus.* *Amputauit omnem emulationem responso suo, omnem causam*

S. Augu-  
stin. de  
verbis  
Domini.

Matth.  
22. 21.

S. Cypri-  
an. de ze-  
lo & liuo-  
re.

causam & materiam mordacis inuidia eruit & abscidit. Exaltationis, apud nos, non potest esse contentio; de humilitate ad summa crescimus: sicut creuit, qui coronam sibi detraxit, & filio regis tradidit; pluris enim illius virtus, quam huius potestas fuit æstimata. Ad eundem modum, si & nos, non tantum verbo, sed & corde dicamus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, nulli suum honorem, nulli opes, nulli scientias inuidebimus, sed potius Deo gratias, pro istis, agemus; quia sic nomini illius gloria datur, immo sic & nos ad æternam gloriam peruenimus, quæ est omnibus rebus mundi anteferenda: quarum contemptus & inuidiam elidit, & promouet nos ad bona longè præstantiora.

Psal. 113.  
9.

Quod est S. Basilij remedium, dicentis: *Quid faciendum, ut hac peste affecti facile liberemur? si nihil rerum humanarum magni estimemus: non enim in rebus fluxis bonum constituimus, sed ad æternorum bonorum participationem vocati sumus. Opes, honores, voluptates, eloquentia, instrumenta sunt virtutis recte utentibus, nihil per se vera felicitatis habentia. Qui ergo ita fuerit animatus, ut nihil usquam humanum admiretur, huic procul dubio inuidia domi-*

XIII.  
REMEDIA  
ALIA IN  
VIDIÆ.  
S. Basil.  
hom. 114

**Lact. 1. 6.**  
**cap. 1.**

**1. Petr. 2.**  
**1.**

**1. Petr. 2.**  
**1.**

**1. Petr. 2.**  
**1.**

*nari non poterit. Hoc remedium morbi istius habemus. Quanquam, & ij, qui potestate pollent, hinc debent vigilare. Antisthenes absurdum esse dicebat, triticum repurgare à lolio, bellum ab inutili milite, & à Republica non discernere invidios. Deponentes igitur omnem malitiam, & invidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles, & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Illi autem qui aliorum invidia agitantur, sciant Abelem esse non posse, quem malitia Cain non exercet. Utantur ergo aliorum malicia in bonum; sicut invidi aliorum bonis in malum abutuntur. Sciant, honesta etiam si per invidiam ad tempus obscurentur, tamen suo tempore soluta iterum splendere. Ut enim flammam primùm emicantem, multus comitatur fumus, qui ea conualescente, & se se explicante evanescit: sic res egregias aggredientem initio multa premit invidia, donec, auctam gloriam, invidiæ fumum discutiat. Nam fumus gloriæ invidia est. Sciant invidiam non solùm agere *antagonistam fortunatorum*, sed etiam esse *testem virtutis*. Quade causa Themistocles adhuc adolescens nihil dum præclari se fecisse dixit, *Nondum enim sibi invideri*. Nam sicut cantharides ve-*

geto

geto maximè tritico innascuntur, & rosas  
pulchrè florentibus: sic inuidia maximè in-  
uadit bonos viros ac ingenij personæq; glo-  
riam sustinentes, & inuidere nescientes; atq;  
ob hoc ipsum similes in terra erunt Diuis  
cœlestibus, quorum nemo alteri inuidet,  
quantumuis in gloria maiore collocato. Si-  
cut neque soli luna, neq; lunæ cetera astra,  
ob splendorem clariorem inuident; neque  
terra superioribus corporibus, quibus subia-  
cet, neque flumina Oceano. Hæc est harmo-  
nia mundi. Ad quam etiam pertinet hæc  
mixture fortunæ atque inuidiæ. Scio, inquit  
Xenophon: *nonnullos liuore ductos morbo animi  
obtemperaturos. Tamen memor nullam vnquam  
virtutem caruisse inuidia (malè etenim cum eo  
agitur, cui nullus inuidet) aquanimiter feram  
eorum dicacitatem.* Signum igitur excellentiæ  
est, *inuidiam pati*; hæc enim non petit, nisi  
felices; sicut signum est miseriæ, *inuidiã*  
(quam Socrates *anima vlcus & ferram* appel-  
lauit) *flagrare*; nisi enim aliquid sibi deesse  
putaret, quod in altero videt, nemo inuide-  
ret. Itaque, qui inuidet, minor est, & hinc  
miser, quia simul & peccat, & plectitur, ex-  
peditâ iustitiâ, & occasionē dat, vt dicatur:

*Aut Mutio nescio quid incommodi accidit, aut*

N 5

nescio lib. 2.

Xenoph.  
l. 1. Cy-  
ripædiæ.

Stobæus  
serm. 36.

Macrobi  
lib. 2.

Satur. c. 2

Francisc.  
Petrarch.  
dial. 106.Paulus  
Oros. de  
Ormetta  
lib. 4

nescio cui aliquid boni. quod Publum olim dixisse testatur Macrobius, cum hominem invidum, & in primis maleuolum videret solito tristiores. Quin & se pusillanimum ostendit; quia licet tanquam ignis summam petat ex imo, tamen in imo manet. Hinc ille dixit: *omnibus ex vitijs, nullum pigrius invidia, altos in animos non ascendit: nullum quoque miserius; quippe suis malis, & alienis bonis, immo ipsa virtute torquetur; & quia inuidi atque maligni vitioso oculo vident, quæ vident: & confusi caliginæ nequitie in id cadunt, ut minus videndo plus videant; cum tamen id, quod est ita, ut est, videre non possint, in tantum enim captum cor obliquat invidia, ut rectum natura non videat.* Hinc dantur consilia perniciofa, & nulla magis damnantur, quam quæ sunt vtilissima fortunis aliorum; planèque sarcasmus fuit, quando, coram Friderico rege, alijs disputantibus, *Quid præcipuè conferret oculorum perspicuitati?* & quibusdam respondentibus *fœniculi afflatum*, quibusdam *vitri usum* laudantibus, Actius Sincerus dixit, his longè antecellere *invidiam*: ut quæ omnia maiora plenioraque videre faciat. Hoc ipso enim oculos fallaces facit, non perspicaces. Deniq; ut sagitta in mittentem retorta, ita

ita ſuum inuidia ipſum conficit authorem,  
cui ex vultu liuido relucet, cui pectus intem-  
perijs implet, cui & corpus & mentem, & il-  
la ipſa, ſi quæ habet, bona funditus euertit.  
Bellè proinde deſcribitur à Poëta.

*Liur tabificum malis venenum,  
Intactis vorat oſibus medullas,  
Et totum bibit artubus cruorem.  
Quo quiſquis furit, inuidetq̄, ſorti,  
Vt debet, ſibi pœna ſemper ipſe eſt.  
Teſtatur gemitu graues dolores:  
Suſpirat, fremit, incutitq̄, dentes.  
Sudat frigidus intuens, quod odit.  
Effundit mala lingua virus atrum:  
Pallor terribilis genas colorat:  
Infelix macies renudat oſſa.  
Non lux, non cibus eſt ſuauiſ illi.  
Nec potus iuuat, aut ſapor Lyæi.  
Nec ſi pocula Iuppiter propinet,  
Atque hæc porrigat, & miniſtret Hebe,  
Aut tradat Ganymedis ipſe nectar.  
Non ſomnum capit, aut quieſcit un-  
quam.  
Torquet viscera carnifex cruentus,  
Væſanos tacitè mouet furores,  
Intentans animo faces Erinnyſ*  
*Lethaliſ,*

Lethalis, Tiryg<sup>3</sup> vultur intus,  
Qui semper lacerat, comestq<sup>3</sup> mentem,  
Viuu pectore sub dolente vulnus,  
Quod Chironia nec manus leuârit,  
Nec Phœbus, sobolesq<sup>3</sup> clara Phœbi.



CAPVT